



# FORMUŁY UROCZYSTEGO BŁOGOSŁAWIEŃSTWA NAD LUDEM

(Missale Romanum 2002)

## IN NATIVITATE DOMINI

**Sacerdos vel diaconus :**

Inclináte vos ad benedictiónem.

**Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem :**

**S.** Deus infinitæ bonitátis, qui incarnatione Fílii sui mundi ténebras effugávit, et eius gloriósa nativitate hanc noctem (diem) sacratíssimam irradiávit, effúget a vobis ténebras vitiórum, et irrádiet corda vestra luce virtútum.

**R.** Amen.

**S.** Quique eius salutíferæ nativitátis gáudium magnum pastóribus ab Angelo vóluit nuntiári, ipse mentes vestras suo gáudio ímpleat, et vos Evangélii sui núntios effíciat.

**R.** Amen.

**S.** Et, qui per eius incarnationem terréna cælestibus sociávit, dono vos suæ pacis et bonæ répleat voluntátis, et vos fáciat Ecclésiæ consórtes esse cælestis.

**R.** Amen.

**S.** Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Filii, + et Spíritus Sancti, descéndat super vos et máneat semper.

**R.** Amen.